

*damnato ad opinionem huc usque non damnatam. Quare fraudulenter, & dolose exemplum Conceptionis trahitur in favorem obstinationis, & malitiae Jansenistarum. Immo si daretur definitio, possent emendicare aliquid suffragii ex illa; quia dicere possent: Ecclesia per multa secula contenta fuit de veneratione externa Mysterii, quod definiit, cui aliquando fuit licitum ei intrinsecus non adhaerere.*

Si ita dicerent Jansenistae, vera non dicerent. Nec enim potest Ecclesia (quod a nobis dictum est antea) non, inquam, potest permittere, ut, cum honorem immunitati Deiparae extrinsecus adhibes, eam tamen immunem fuisse apud te neges. Quippe mentalem restrictionem sine peccato non esse Innocentius XI. declaravit. Uteris autem restrictione mentali, si, quo die Conceptionem Deiparae veneraris, cum Officio persolvis, cum sacrum facis, cum dignissimam dicis, & sanctam Conceptionem Mariae, hoc tibi carmen intus canere audes, originis labe non caruisse Deiparam Virginem. Itaque peccas, quod Ecclesiae non pareas, quod cultum ejusmodi, ut ab Ecclesia praescribitur, minime deferas. Cultus enim, quem decrevit Ecclesia, non solum externa professione, sed etiam animi sensu, atque judicio continetur. Ergo fallacem Jansenistarum nationem eo facto imitaris; eoque unice differs, quod illi haeresim manifestam animo tenent, tu non haeresim exploratam, sed errorem haeresi proximum. Quod non temere judicando, sed Theologi more arguendo conclusione evidenti me colligere memini, iterumque profiteor. Sed ii tamen exemplo tuo incitati Ecclesiae non parent; profitentur exterius, negant interius; Pontificis Bullam deosculantur, nec tamen ad ea, quae Bulla Pontificis continentur, judicium mentis accommodant. Quocirca non fraudulenter, & dolose, quod per insignem contumeliam a te nuper est dictum, sed sincere, atque vere Jansenistarum exemplum allatum est. Quod si dum celebras immunitatem Mariae, idcirco te putas eam posse negare sine peccato, quod non sit definita; hac ego ratione suspicabor, a te partem Rosarii, quod ore commendas, mente negati. Nec enim